



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Senense Celebratvm Anno Domini MCCCCXXIII. Svb Martino  
Papa V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

## CONCILIVM SENENSE

ANNO  
CHRISTI  
1413.

CELEBRATVM ANNO DOMINI MCCCCXXIII.

SVB MARTINO PAPA V.

*De Translatione Concilii Papiensis ad Senas.*

**D**E translatione Concilii generalis a ciuitate Papiensi ad ciuitatem Senarum facta anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo tertio, die vigesima secunda mensis Iunii. Sciendum quod anno prædicto, die vigesimo primo prædicti mensis, in dicto Concilio existentibus pro parte domini nostri papæ Martini V. reuerendis in Christo patribus & dominis Petro archiepiscopo Spoletano, Petro abbate de Rosacco Aquileiensis diocesis, ordinis sancti Benedicti, & Leonardo magistro & generali ordinis Prædicatorum, & aliis prælatis & doctoribus de diuisis nationibus. Reuerendus in Christo pater dominus abbas sancti Ambrosii Mediolanensis de mane illustrissimi principis domini ducis Mediolanensis præsentauit præfatis dominis de Concilio literas credentiales, virtute quarum idem dominus abbas exposuit magnam beneuolentiam quam dictus princeps habebat ad ipsum Concilium. Et quia dolenter intellexerat in dicta ciuitate Papiensi pestilentiam epidemiam vigere, dictis dominis de eminenti periculo volens eis præcauere, præsentabat dicto Concilio omnes ciuitates & oppida suorum dominiorum, demptis dumtaxat duabus ciuitatibus, Brixia & Mediolano. Quibus auditis, domini de nationibus retraxerunt se ad partem in aula exteriori, commissariis domini nostri papæ in aula interiori remanentibus. Et quia dicebatur quod idem dominus abbas habebat illo die necessario reuerti, & referre responsum ad dominum ducem prædictum: post plures instantias præcipitatuas, iterum dictam cameram sine concordia de loco translationis, vbi post multas altercationes hincinde habitas, dominus Andreas Poznaniensis episcopus pro se & illis de natione Germanica qui erant quatuor in numero, cum videret quod non posset faciliter haberi concordia, dixit præmissis commissariis, quod

ANNO  
CHRISTI  
1423.

onerabat dictos commissarios de electione loci, pro translatione dicti Concilii, saluis semper in omnibus decretis Concilii Constantiensis. Consequenter dominus Philibertus Ambianensis episcopus pro illis de natione Gallicana qui erant ibi sex in numero, similiter respondit. Postremo vero dominus Ricardus episcopus Lincolniensis pro natione Anglicana, quæ plus abundabat in suppositis, respondit similiter, & addidit, quod locum quem dicti commissarii eligerent, dicta natio extunc eligebat. Nullus autem erat ibi de natione Hispanica, neque de Italica, præter dictos commissarios. Et sic domini iuerunt ad prandium, quia etiam iam erat hora tarda. In crastino vero de mane tenebatur sessio, in qua post celebrationem Missæ per dominum Andream Pozniacensem prædictum, præsentem pro dicto Spoletano episcopo, cantatis litanis & ceteris orationibus more solito, idem dominus Andreas ascendens ambonem legit quamdam schedulam, quæ nunquam fuerat visa per nationem Gallicanam, cuius tenor sequitur in hunc modum.

*Decretum de ipsa translatione ex causa pestis.*

Sacrofancta Synodus generalis Papiensis in Spiritu sancto legitime congregata, causa pestis inibi notorie vigentis, ipsam ciuitatem Papiensem mutat, & loco ipsius ciuitatem Senarum in natione Italica consistentem, tamquam habilem & locum sufficientem pro continuatione eiusdem sacri Concilii, tenore præsentium eligit atque deputat. Qua schedula perlecta, dominus Petrus archiepiscopus Cretensis respondit, Placet, pro natione Italica, licet non haberet super hoc mandatum a natione, nec natio viderat schedulam prædictam. Magister Nicolaus de Suzato doctor in theologia similiter respondit pro natione Germanica, & dominus Ricardus Lincolniensis episcopus pro natione Anglicana.

*Concil. Tom. 29.*

Yyyy ij

## ACTA SENENSIS CONCILII.

ANNO  
CHRISTI  
1423.

Sequitur decretum de approbatione processuum,  
& continuatione in futurum contra  
Hussitas hæreticos.

*Sacrosancta Synodus Senensis generalis in Spiritu sancto  
legitime congregata, vniuersalem ecclesiam  
representans:*

**I**N ea Petro archiepiscopo Cretensi, Iacobo episcopo  
Spoleitano, Petro abbate de Rosacco Aquileiensi, &  
Leonardo magistro & generali ordinis Prædicatorum,  
nuntiis sanctissimi in Christo patris & domini domini Mar-  
tini papæ V. vnici & indubitati summi pontificis specialiter  
deputatis: ipsiusque reformationem intendens, incipiens  
a fidei fundamentis, præter quod nemo potest aliud po-  
nere, damnationem hæreseum Vuicleffistarum & Hussi-  
tarum, suorumque sequacium extirpationem. Deinde  
per præfatum sanctissimum dominum papam Martinum  
pro viribus procurata tam principum, baronum, diuifor-  
umque populorum exhortatione & requisitione, tam  
etiam plenariæ indulgentiæ concessione illas prosequen-  
tibus, cum pro tali habitatione ad diuersas partes bina desti-  
natione legati de latere, ratas & gratas habens approbat  
& confirmat, contra eosdem continuando processus. De-  
cernit omnes persequentes ac procurantes extirpationem  
dictæ sectæ gaudere omnibus iuribus, priuilegiis & indultis  
a iure vel ab homine, peccatorum veniam concernentibus,  
contra hæreticos insurgentibus concessis, aut infectos labe  
dictarum hæreseum quomodocumque, omnes & singulos  
eisdem consiliis, auxiliis vel fauoribus assistentes, ac eosdem  
defendentes vel receptantes, nec non victualia, species  
aromaticas & pannos, sal, pulueres, bombardas, plumbū,  
vel arma, siue instrumenta bellica, seu res alias quascum-  
que eis adducentes, siue alia quæuis negotia vel commer-  
cia publice vel occulte facientes cum eisdem; eos etiam  
qui scienter per dominia, terras, districtus, vel suæ ditioni  
subiecta, præmissa in toto vel in parte præfatis hæreticis  
adduci seu apportari, vel subditos suos cum eis negotiari  
permiserint, poenis & damnationibus contra hæreticos  
promulgatis obnoxios fore ac subditos, iurisdictionem

ANNO  
CHRISTI  
1423.

quorumcumque iudicum, extirpationem hæreticæ prauitatis, priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, saluif. conductibus a quibuscumque personis ecclesiasticis vel sæcularibus, etiam si pontificali, imperiali, regali & ducali, aut alia quacumque ecclesiastica vel sæculari præfulgeant dignitate, concessis vel concedendis, non obstantibus quibuscumque. Insuper omnes Christianæ religionis principes ac dominos tam ecclesiasticos quam sæculares hortatur, inuitat & monet per viscera misericordiæ Dei, ad extirpationem tanti per ecclesiam prædamnati erroris omni celeritate, si diuinam ultionem & pœnas iuris euitare voluerint, euigilent & intendant. Nihilominus disponens hæc sancta Synodus ante eius dissolutionem super huiusmodi decreti executione efficacius providere.

*Ratificatio condemnationis factæ per Constantiense Concilium  
contra Petrum de Luna, & aggravatio contra  
succedentes & participantes.*

Item hæc sancta Synodus sententiam damnationis & condemnationis in personam damnatæ memoriæ Petri de Luna, olim Benedicti decimitertii in sua obedientia nuncupati, schismatici & hæretici pronuntiat per sacrum Constantiense Concilium, & inhibitionem factam omnibus & singulis Christi fidelibus sub pœnis fautoriæ hæresis & schismatis, ac priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & honorum ecclesiasticorum ac mundanorum, & alias pœnas iuris infligendo, prout in dicta sententia præfati Concilii, cuius totum tenorem hic haberi vult & habet pro sufficienter expresso, latius continetur, ratam & gratam habens, eiusque executionem, continuationem continuare volens, decernit, statuit & declarat, omnes & singulos post obitum dicti Petri de Luna continuantes seu perseverantes in credulitate vel obseruantia erroris & schismatis eiusdem Petri sic (vt præmittitur) damnati, vel ius aliquod ab eo in eas directe vel per indirectum deriuasse aut deriuari potuisse prætendentes, seu in vicem eius succedentes, eorumque receptatores, defensores & fautores, cuiuscumque status, præeminentiæ vel conditionis existant, etiam pontificali, cardinalatus,

Yyyy iij

imperiali vel regali, aut alia quacumque ecclesiastica vel sæculari præfulgeat dignitate, omnesque & singulos eisdem consiliis, auxiliis vel fauoribus assistentes vel receptantes, nec non quoscumque victualia, species aromaticas & pannos, sed & plumbum, pulueres, bombardas vel arma, seu instrumenta bellica, seu res alias quascumque eis adducentes, siue alia quæcumque negotia vel commercia publice vel occulte facientes cum eisdem; eos etiam qui scienter per dominia, terras, districtus vel loca suæ ditioni subiecta, præmissa in toto vel in parte præfatis hæreticis adduci vel apportari, vel subditos suos cum eis negotiari permiserint, fore obnoxios atque ligatos pœnis & censuris in dicta sententia contentis, cum etiam noui erroris inuectores non sint, alieno tamen facinori prædamnato suam communionem immiscuerunt, nullo eisdem exceptionis, immunitatis, priuilegii, statuti vel consuetudinis præsidio suffragante: per hanc tamen approbationem & declarationem, statutum siue decretum, non intendit priuilegiis, habilitationibus, declarationibus quibuscumque personis per sanctissimum dominum nostrum papam Martinum quintum concessis & concedendis præiudicium generare, seu in aliquo derogare.

*Concessio indulgentiarum persecutoribus hæreticorum.*

Item quoniam propter negligentiam quorundam ordinariorum & inquisitorum deputatorum extirpationi hæreticæ prauitatis, in diuersis mundi partibus variæ hæresum species pullularunt in grauem Dei offensam, fidei catholicæ detrimentum, & multarum animarum perditionem: volens hæc sancta Synodus remedium adhibere, statuit atque mandat omnibus & singulis locorum ordinariis ac inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt timore, fauore, amore & odio quibuscumque postpositis, iuxta iuris formam sollicitè intendant inquisitioni & extirpationi hæresum quarumcumque, & quamprimum eis constiterit in locis suæ iurisdictionis aliquos dicta labe infectos existere, eorum captioni & punitiõni intendant secundum canonicas sanctiones, quodque vt fauoribus opportunis circa hæc eisdem ordinariis & inquisitionibus af-

ANNO  
CHRISTI  
1423.

listatur, constitutioni Bonifacii octavi disponenti super investigatione, captione, custodia & punitione hæreticorum & fautorum fiendis & procurandis per dominos & rectores temporales locorum, addere cupiens, statuit hæc sancta Synodus, quod quicumque capientes hæreticos, & in potestatem ordinariorum vel inquisitorum hæreticæ prauitatis effectualiter ponentes, vel eos quos detinere seu capere non possent, de eorum territoriis omnes expellentes aut bannientes, seu etiam requisiti brachium faculare contra eos præstantes, eam indulgentiam consequantur, quæ dari consuevit personaliter proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ. Mandat etiam omnibus ad quos spectat deputare inquisitores hæreticæ prauitatis, vt in deputatione seruetur Concilium Viennense, ac in locis insignibus, vel vbi frequentius pullularet hæresis, quoscumque non deputent, nisi magistros in sacra pagina, si tamen commode possint. Alioquin, alios doctiores & aptiores quos potuerint reperire. Huiusmodi quoque decretum prima & quarta Dominica quadragesimæ, in festo natiuitatis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ordinarii in suis ecclesiis principalibus, inquisitores vero præfati in ecclesia insigni ciuitatis vel diocesis, vbi magis viderint expedire, quando populus conuenit ad diuina, singulis Dominicis diebus publice nuntiare candelis accensis pariter & extinctis, & in terram proiectis, campanisque pulsatis, omnes hæreticos, credentes, receptatores, fautores & defensores eorundem, excommunicatos, & tales ab omnibus euitari. Hanc autem publicationis formam, quoad constitutiones præfatas Vucleffistarum & Hussitarum, & schismaticorum, quouisque viguerint, hæc sancta Synodus obseruari decreuit. Quod si prædicti ordinarii vel inquisitores circa obseruantiam huiusmodi statuti se remissos ac negligentes reddiderint, pœnam suspensionis ab ingressu ecclesiæ per quadrimestre tempus eo ipso incurrant, ac in prouincialibus seu synodalibus Conciliis pro modo culpæ seu negligentia contra tales negligentes vltra prædictam pœnam prouideatur de remedio opportuno, priuilegiis, exemptionibus, consuetudinibus & statutis con-

tra præmissa disponentibus, non obstantibus quibuscumque.

ANNO  
CHRISTI  
1423.

*Statuta super materia reductionis Græcorum.*

Item in nonnullis generalium Conciliorum conuocationibus Romani pontifices pro tempore existentes conati sunt ecclesiam orientalem reducere ad vniouersalem ecclesiam in necessaria fide Iesu Christi saluatoris: sanctissimusque dominus noster papa Martinus quintus, paterno eius affectu compatiens & afferens, omnes errantes ad vnicum Christi ouile reducere perquirens, sollicitè nuntium proprium sufficienti potestate munitum ad patriarcham & imperatorem Constantinopolitanum destinando, vt vnioui & gremio sanctæ matris ecclesie possent reincorporari: cuius nuntii expositione audita, imperator respondit, prout in eiusdem literis aurea bulla in . . . . . latius continetur, cuius tenor infra habetur. Ex quibus apparet cum ipsis talia istis temporibus non posse vtiliter & fructuose pertractari. Quare hæc sancta Synodus considerans reformationem catholicæ ecclesie necessariam fore, eis pro nunc non aliter expectatis, decernit ad dictam reformationem fore procedendum, & cum se facultas obtulerit, vigilare diuina clementia, sinceroque cordis affectu pro viribus intendere eorum reductioni ad gremium fidei catholicæ.

Hoc lecto, ostendebatur litera patriarchæ Constantinopolitani, bulla aurea sigillata, & in Græco pariter & in Latino scripta. Et primo legebatur Græcum per Ma. . . . . vnum secretarium domini nostri papæ, & consequenter Latinum per dictum Ma. . . . . Azel, cuius tenor sequitur.

*Instrumentum relationis de ambasiata facta ad Græcos ex parte domini papæ, & continet nouem conclusiones.*

*In indiuiduæ sanctæ Trinitatis nomine. Amen.*

A Christi natiuitate anno millesimo quadringentesimo vigesimo secundo, indictione quintadecima, die decimaquarta Nouembris, Constantinopoli vrbe regia in præsentia domini imperatoris Romæorum, præsentibus testibus infra scriptis, ad hæc omnia & singula vocatis & rogatis, reue-

ANNO  
CHRISTI  
1423.

reuerendissimus & integerrimus vir atque clementissimus  
sacrae theologiae professor magister Antonius Massanus,  
qui dicitur orator & nuntius apostolicus in partibus Grae-  
ciae, ad diem decimum Septembris millesimi supradicti  
Constantinopolim applicuit: qui maiori suae honestati  
consulens, diuertit in Peram ad conuentum ordinis fra-  
trum Minorum; statimque per reuerendos & hone-  
stissimos viros fratrem Gulielmum confessorem excel-  
sae & Christianissimae imperatricis, & magistrum Ioan-  
nem praefati oratoris socium. Et serenissimo principi  
domino Manuelli Dei gratia Romaeorum imperatori i-  
dem significauit, primo se esse nuntium apostolicum  
missum ad suam maiestatem imperialem: deinde ubi &  
quo in loco eidem gerens morem secesserat. Tertio ve-  
ro, quandocumque sua imperialis maiestas pro eo mit-  
teret, ipse semper paratissimus esset. Cui quidem domi-  
no oratori Io. . . . dominus imperator per eos-  
dem dominos venerabiles fratres ad suam serenitatem  
transmissos huiusmodi responsum dedit. Primum letari  
se plurimum de ipsius aduentu; de loco autem in quo e-  
rat, vehementer congratulari, & ita meliorem eligere  
non potuisset: domum vero quod propediem pro eo-  
dem mittet, quo voluntatem beatissimi summi ponti-  
ficis audiret. Postea vero cum ad diem decimum sextum  
eiusdem mensis Septembris ipse dominus imperator mi-  
sit, idem reuerendissimus pater dominus nuntius apo-  
stolicus ad imperiale palatium profectus est, honorifi-  
centissime associatus, & ab honorabili domino baiulo  
illustrissimi ducalis domini Venetorum, & alia mul-  
titudine nobilium copiosa, tam Graecorum quam Lati-  
norum: ibique facta maiestati imperiali reuerentia de-  
bita, eidem bullas sanctissimi in Christo patris & domi-  
ni Martini diuina prouidentia papae quinti praefatus do-  
minus orator propriis ipsis manibus porrexit, atque be-  
nedictione sanctitatis apposita, assignata, dixit habere se  
ex mandato apostolicae ipsius sanctitatis, & suae sereni-  
tati & reuerendissimo in Christo patri domino patri-  
archae nouem quaestiones exponere, quibus dominus  
imperator respondit suo loco & tempore ad illas expo-  
nendas iterum se pro eodem domino oratore missu-

rum. Ad diem autem tertium Octobris cum idem illustrissimus imperator Manuel mittere instituisset, veluti antea dixerat, ut ipse una cum domino patriarcha eas nouem conclusiones exponendas attenderet, grauissima infirmitate oppressus est, & adeo oppressus repente, ut & loquelam omnem ac sensus omnes penitus amiserit. Quamobrem die decima eiusdem mensis Octobris, idem reuerendissimus dominus orator & nuntius apostolicus, per supradictos fratres Guillelmum confessorem & magistrum Ioannem transmissos ad illustrissimum principem dominum Ioannem eius serenissimi domini Manuel filium primogenitum atque Romæorum imperatorem in prædictis designatum, primo apud ipsius maiestatem condoluit de aduersa &

valetudine excelssissimi patris sui, deinde modestissime ac ipsi significauit, quod legatio beatissimi summi pontificis in longiusculum trahebatur. Ad diem vero decimam quintam eiusdem mensis Octobris, idem illustrissimus dominus Ioannes imperator iunior, aduocato in suum imperiale palatium præfato reuerendissimo patre magistro Antonio Massano, dignissimo nuntio apostolico, illam sacratissimam pontificis summi legationem in nouem conclusiones distributam in secreto audiuit, reiectis ac remotis omnibus præter suorum aliquos. Quibus quidem nouem conclusionibus accuratissime auditis, post pleraque verba dixit, usque ad dies paucos ad ea se responsurum, quæ ipsi domino oratori placita fierent. Vicesima autem die eiusdem mensis Octobris, reuerendissimo in Christo patre & domino domino patriarchæ Constantinopolitano supradicto publice in ecclesia sancti Stephani coram suis metropolitanis, calogeriis & præpeditibus, atque aliis multis tam Græcis quam Latinis hominibus, idem dominus nuntius apostolicus easdem nouem conclusiones exposuit, quibus & ipse reuerendissimus quoque dominus patriarcha usque ad dies paucos responsurum affirmavit. Ipsæ vero conclusiones, quas illustrissimo domino imperatori atque reuerendissimo in Christo patri, domino patriarchæ præfatus dominus orator retulit, hæc habent de verbo ad verbum.

ANNO  
CHRISTI  
1425.

Sanctissimus & beatissimus qui habet caeleste arbitrium, qui est dominus in terris, successor Petri, christus Domini, dominus vniuersi, regum pater, orbis lumen, summus pontifex papa Martinus, diuina prouidentia papa quintus, mandat mihi magistro Antonio Massano ordinis Minorum, oratori & suo nuntio in partibus Græciæ, hæc \* mora vobis reuerendo in Christo patri & domino domino Ioseph patriarchæ dignissimo Constantinopolitano, & serenissimis principibus Manueli & Ioanni Romanorum imperatoribus Palæologis, nouem nuntiare maximas sententias.

Quarum prima fundatur in domini nostri papæ ad vniionem ardentissimo desiderio. Cum enim omne ex natura sua tendat ad vniionem, quia non vult totum a suis partibus separari, nec partes a suo toto, vt vniio seruetur; postea quoniam virtus vnita fortior est dispersa: sanctissimus dominus papa non tantum desiderat vniionem ex natura, sed etiam vltra naturam inclinatum. Tantum optat ratione bonitatis pontificatus domini nostri felicissimam videre diem illam ecclesiarum Latinæ Græcæque vniionis, vt præter Deum nihil supra. Deinde intendit pro hac totum ecclesiæ Romanæ licitum iustum apponere atque honestum: & quod felicius hac in vita suæ sanctitati occurrat, certe ei non venit in mentem: & totum collegium dominorum cardinalium, omiſſis omnibus, quasi de re alia non pertractat, quam de ista sanctissima vniione. Sed quid dicam de domino legato reuerendissimo cardinale sancti Angeli, qui, vt inferius explanabo, ad mortem se posuit in horrendo mari contra omne medicorum consilium? tam accenso harum ecclesiarum Græcæ & Latinæ desiderio ardebat concludendi vniionem, vt ecce dicamus, desiderio desiderauit Christi vicarius cum suis cardinalibus hoc pascha vniionis, communionis & pacis secure nobiscum Græcis vnica in ecclesia catholica & apostolica, rugam non habente, schisma neque dolos.

Secunda conclusio, in suum habet ius malis & periculis quæ ex hoc schismate prouenerunt hæctenus, & quotidie proueniunt, tam spiritualiter quam temporaliter. Quæ lingua, pater patriarcha & Romanorum im-

*Concil. Tom. 29.*

Zzzz ij

perator, sufficit explicare ex hac pestifera diuisione sanguinis effusionem, hominum stragem, succensiones, furta, adulteria, homicidia, & similia mala ineffabilia? Propter hoc pessimum malum Græcia nobilis, tam florida, perdidit proprietatem domini, sæcularem sapientiam ac morum strenuitatem, principum nobilitatem, plenitudinem populorum, mercatorum affluentias, maris potestatem: in præfenti vero Græcia omnis amissa vtriusque hominis pace, guerris inimicorum crucis Christi vndique premitur, & in seruitutem redigitur. Quid scelestius dici posset, quam quod infideles, fideles Christianos suppeditantes, hac arma mouere cogant vt plurimum contra Christianos? Quid inhonestius, quam vt pudicæ dominæ Græcorum, alias timore, nunc amore per viros suos nunc admittantur ad tortorum coniugium, imo per parentes ad dispensationem, si dispensatio habet dici? Nos vtique Latinos abominantes, & vocantes nos schillos Francos, cum simus eiusdem fontis renati baptismate, eiusdemque cælestis Patris filii atque heredes & fratres. Sed quod deterius est, nisi ista cesset scissura, omnes nunc tam Tartaris quam Turcis obedient, & renuntiabunt euangelio Christi, & iam serui fient Mahometis, ex carentia prædicatorum pacem, vniõnem & salutem annuntiantium eis. Sed circa periculum, ne pereat præsto ex toto Græciæ monarchia irrecuperabiliter, dari forsan consilium \* nulliter salubrius, quam se nobiscum vnire caritatis vinculo, vt fiat velut antea vnum ouile & vnus pastor; & vt filii Dei Græci qui sunt aliqui in Græcia, aliqui in Armenia, aliqui in Syria, aliqui in Bulgaria, aliqui in Turchia, &c. & congregentur in vnum ecclesiæ Romanæ consensum: alias omnia per brachium infidelium remedia periculosa certe sunt.

Tertia conclusio soluat in requisitione promissi: quoniam reuerendus pater & dominus episcopus Slorensis, & dominus Nicolaus Eudemon Ioannes, obtulerunt & dixerunt aperte, districte & clare, omni femota obscuritate, domino & sanctissimo papæ Martino quinto, voluntatem esse patriarchæ reuerendissimi Constantinopolitani, & serenissimi Romanorum imperato-

ANNO  
CHRISTI  
1422.

ris, procurare ac curare sine fraude & dolo sanctissimam vnionem ecclesie Græcorum cum ecclesia Latina, sub illa fide quam sancta Romana ecclesia tenet, & obedientia ad eandem ecclesiam Romanam: vt intendit dominus noster papa in suis bullis credentialibus ad vos reuerendissimum patriarcham, & ad vos serenissimos imperatores, & ad præfatos vestros: vt etiam testantur hoc literæ credentiæ reuerendissimi domini legati ad eosdem. Ideo dominus noster merito bonus, vt pastor, requirit, inuitat vos iustum ad promissum seruandum in sancta sede apostolica. Diuina voce Græca ait ecclesia: conscientia nostræ conuenit semper dare operam, ne oues errantes culpa nostra pereant de ecclesia: & si præter intentum nostrum dominus Theodorus & dictus Nicolaus oratores nostri promiserunt hæc supradicta modo prædicto, ostendetur euidenter sanctitati domini nostri, eos falsè exposuisse voluntates nostras, ne dubium remaneat aliqua in parte præfatorum. Veritas quidem non quarit angulos, sed prædicat in plateis, in publicum dicit quod narrat omni alechia iidem phobia, &c.

Quarta conclusio creatione legati firmitatem habet. Propter quæ præmissa tam mirifica sanctissimus dominus noster papa illico Florentiæ creauit dictum legatum ex latere, & publicauit reuerendissimum in Christo patrem dominum cardinalem sancti Angeli. Qui dominus cardinalis & legatus propter nonnullas ecclesie necessitates & suas peruenit ad Hispaniam, de conscientia eiusdem domini Nicolai Eudemon Ioannis, oratorum vestrorum, eo quod tunc non erat tempus idoneum nauigandi ad Græciam, nec erant præordinata, quæ de necessitate videbantur ordinanda Constantinopoli pro Concilio fiendo. Sine enim Concilio visum fuit, Græcorum & Latinorum præfatam vnionem sequi non posse: & ipsis satis erat ad hæc faciendum. Fuit autem prædictus dominus cardinalis in Hispania grauissima infirmitate detentus, a qua nondum liberatus, in maris periculo se posuit contra etiam salubre consilium medicorum, vt ad implendum opus sui officii veniret, & vt non faceret voluntatem suam, sed voluntatem eius patris domini papæ qui misit eum.

*Concil. Tom. 29.*

Zzzz iij

Locus ob-  
scurus.

Quinta conclusio attenditur penes impedimenta, ex quibus legatus & dominus cardinalis non iuit ad Græciam. Cum enim versus eandem se parasset ad iter, literæ superuenerunt episcopi Theodori, nec non & aliorum multorum, deportatæ per fratrem Macarium & alios nonnullos: in quibus expressè continebatur ex sententia, quod congregatio pro Concilio fiendo prælatorum Græcorum isto tempore fieri non posset, propter inhumanissimam Turcorum guerram, & transitum eorumdem ad partes Græciæ. Ac etiam in eisdem literis renuntiatum est Constantinopoli esse nullum vestigium præparationis Concilii. Incassum ergo superuenisset legatus ad impetratam, imo perturbatam atque inconsideratam omnibus suis in partibus . . . prudentia enim si aut adiecto ultimo vult præceptum, iudicium medio, & primo consilium: quorum prudentiæ actuum primus non est, secundus abest, tertius subest. Venire ergo non debebat dominus legatus.

Sexta conclusio vigorem habet in destinatione nuntii apostolici. Quare nec longum iter diuturna mora legati esset sine fructu, si dominus noster papa habito maturo & digesto consilio deliberavit \* promittere me nuntium suum apostolicum, vt præordinarem congregationem prælatorum & Græcorum, quæ repræsentat totam ipsorum ecclesiam, ne in primum inconueniens incidamus, quando oratores imperatoris Constantinopolis in Concilio Lugdunensi se Romanæ ecclesiæ vniuerunt, & Credo in Deum, prout eadem ecclesia, publice decantarent: nec tamen illi reductioni, vt patet, Græcia stare voluit, asserens, vt fertur, sine communi Concilio id actum esse. Expediit quidem hoc ad tollendum vetustissimum malum. Hoc sciam, quatenus quo possum clarissime informare dominum nostrum papam & legatum, scilicet quo tempore fieri debet istud Concilium, quo loco, & ex quibus Græcorum prælatis: ad quem finem Concilium, fateor, intendit. Quia cuius finis bonus, ipsum quoque bonum est: & cuius finis malus, ipsum quoque malum est. Si est disputatio plurimum grandæua, si de fide disputatio, procul a nobis: si ad conferendum per doctores Græcos pariter & Latinos summam complacentiam ad *calauuite agathon.*

\* f. præ-  
mittere

ANNO  
CHRISTI  
1425.

Septima conclusio roboratur in certitudine promissi. Vnde quæro, si vos, reuerendissime patriarcha & serenissimi imperatores, intenditis realiter operari, quod vnio fiat sub fide quam sacrosancta Romana ecclesia tenet & seruat, & obedientiam ad eandem Romanam ecclesiam: esto etiam quod alii Græci congregati in Concilio, quia non sint sub dominio vestro temporali, non vellent accedere. Istud idem dominus episcopus Theodorus, & dominus Nicolaus Eudemon Ioannes obtulerunt Florentiæ pro parte reuerendissimi patriarchæ & serenissimi imperatoris Manuelis, sanctissimo domino nostro papæ & legato, non quæstum ad intentionem promissionis imperatoris & patriarchæ, sed quæstum ad verba, promissio indiget, vt feratur, examinatione.

Octaua conclusio existit in oblatione domini legati. Promittit enim certissime illustrissimus dominus cardinalis sancti Angeli & legatus ex latere in partibus Græciæ, vbi promissi recto animo & dicto instituto veniatis ad sæpe dictam sanctissimam vnionem promptum adiutorium regis Aragoniæ, regis Castellæ, gloriosissimorum, pro fidei triumpho, nec non & aliorum principum: quamuis coacta Deo non placeant. *Hilarem enim datorem diligit 1. Cor. 9.*  
*Deus.*

Nona conclusio terminatur in finali & sancto promisso sanctissimi domini nostri papæ: Ego nuntius apostolicus magister Antonius Massanus ordinis Minorum, palam coram omnibus promitto de mandato domini nostri Martini papæ V. quod si prædicta vnio per reuerendissimum dominum patriarcham & imperialem maiestatem vna cum modis supradictis fiat, quod sanctissimus dominus noster papa præsto mittet legatum absque mora retardationis cum prælatis & magistris ad hoc specialiter ordinatis, vbi primo, sicut præmissi in sexta conclusione, sciam tempus huius sacratissimi Concilii, & locum eiusdem congregationis prælatorum Græcorum sufficientem & idoneum, & quem finem intenditis esse nobiscum in Concilio, & quomodo.

*Diligentiæ pro responfione a Græcis habenda,  
& caufa dilationis.*ANNO  
CHRISTI  
1425.

Post autem has nouem conclusiones, ita vt scriptæ sunt, diligenter expositas, idem reuerendissimus pater dominus nuntius apostolicus, magister Antonius Massanus, ad diem vigesimamquartam eiusdem mensis Octobris eundem reuerendissimum in Christo patrem dominum patriarcham secundo conuenit & allocutus est super conclusionibus suprascriptis. Item & die vigesima sexta eiusdem mensis præfatus dominus nuntius apostolicus supra nominatos fratres Gulielmum confessorem, & Ioannem socium suum ad eundem serenissimum dominum imperatorem dominum Ioannem misit, vt suæ maiestati placeret responfionem sibi dare ad ea quæ nomine beatissimi summi pontificis suæ serenitati retulerat. Die vero trigesima eiusdem quoque mensis Octobris, iterum dominus imperator apud eundem reuerendum dominum patriarcham fuit ad tractandum & colloquendum de modo celebrandi Concilii. Kalendis autem Nouembris idem serenissimus dominus imperator Ioannes misit ad ipsum dominum oratorem quemdam ex nobilibus suis Catacismon, ad dicendum, ne miraretur, si tam cito minus responsum dabat: quoniã multis & maximis negotiis bellicis impræsentiarum esset implicitus. Deinde quoque ad diem tertium Nouembris dominus nuntius apostolicus misit ad quemdam maiestatis imperialis Calogerum & ad Closeps, vt vellent illustrissimum dominum imperatorem ac reuerendissimum dominum patriarcham ad hanc vnionem sacratissimam excitare, Ad diem vero decimumquartum Nouembris præfatus dominus nuntius apostolicus responfionem habuit ad omnes supradictas conclusiones, tam a reuerendissimo domino patriarcha, quam ab illustrissimo domino imperatore supradicto: quoniam cum firma ac solida in se esse asserat, idem dominus nuntius apostolicus hic annotari seu adscribi voluit. Scriptum & publicatum Constantinopoli, quemadmodum retulerunt, & suis sic missis testationibus approbauerunt venerabilis frater Gulielmus confessor supradictus, frater Petrus Capinus custos Constantinopolitanus, frater Ludouicus de Tarasio, frater

ANNO CHRISTI 1425.

Damianus de Venetiis, dominus Ioannes Arispa, & frater Laurentius de Franciscis, testes ad hæc omnia & singula suprascripta vocati & rogati.

Et ego Franciscus Philelphus ciuis Venetus publica & imperiali auctoritate notarius, & nostris in Venetorum curia & Constantinopolitana cancellarius, ex relatione & attestatione præfatorum testium suprascripta omnia & singula scripsi, compleui & publicauì.

Auscultatum & collationatum cum originali per me Aimonem Gerbasii episcopi Maurianensis, literarum apostolicarum de curia & aliarum in camera apostolica registrari, \* sollicitare registratori, die vigesima octaua Iulii anni millesimi quadringentesimi vigesimitertii, de episcopi prædicti manu propria.

*Copia literarum responsionis imperatoris Græcorum ad papam Martinum V.*

*Sanctissimo in Christo patri & domino domino Martino sacrosanctæ Romanæ Dei catholicæ & apostolicæ ecclesiæ summo pontifici dignissimo, Ioannes in Christo Deo fidelis imperator & moderator Romæorum Palæologus semper Augustus, reuerentiam debitam & deuotam.*

Reuerendus vir ambasiator yester Antonius presbyter, monachus, theologiæ magister, venit ad nos in gratia sanctitatis vestræ ferens ac accipi . . . . . cognouimus & ab ipsis & a vestro ambasiatore quæcumque nobis ipse dixit. Ad primos eius sermones, qui fere in summa fuerunt, quod ex parte mea dixit Nicolaus Eudemon, & reuerendus episcopus Olenis Theodorus, quod volumus vnionem simpliciter cum Romana ecclesia. Sed quoniam respondimus ipsi ambasiatori ad verbum, a quo sanctitas vestra de omnibus agnoscet, affirmamus etiam per nostras literas expresse, quod non solum aliquid tale commisimus, sed neque omnino vnquam ipsum in mente dicere habuimus. Sed quod scripsimus in literis nostris, istud & non aliud nostri ambasiatores impositum habuerunt implere & enucleare propriis sermonibus, videlicet fieri Concilium vniuersale secundum ordinem & consuetudinem sanctorum septem vniuersalium Conciliorum, & quod concesserit Spiritus sanctus ad pacem, istud firmare

& tenere. Circa sermones autem ipsius magistri Antonii ambasiatoris, post hoc quod quaesivit agnoscere locum & modum & tempus Concilii: Respondemus, de loco quidem Constantinopolim, cum imperium nostrum in praesenti neque aptiorem alium locum habeat, neque possemus ire alio propter necessitatem. Verum in qua magis nunc sumus quam aliquando, & etiam propter necessitatem expensarum quibus ipsum negotium indiget. De modo, non necessitatem ducimus esse, omnes sanctissimos patriarchas, & omnes episcopos prouinciarum nostrarum interesse. Concilii autem huiusmodi expensas omni praeterito tempore faciebat imperium, nunc autem similiter esset opus: imperium vero nunc non potest vlllo modo, nec facultatem habet ad id faciendum. Qua de causa sanctitatem vestram rogamus, vt circa hanc rem prouideatur sufficienter. De tempore autem, optamus & desideramus vt taliter essent res, quod hodie hoc diuinum opus vnionis & nobis placitum, principium accipiet. Sed cum sint circa nos res tales, quales vidit suis oculis Antonius, qui quasi penitus destructis nobis omnibus, sunt sub periculo gladii & hac ciuitas & omnia nostra: & non est possibile congregare episcopos ab Asia, neque ab Europa, propter guerras infidelium. Dicimus quod Deo dante pacem & firmitatem rebus, statim scribemus vobis, & apportatis nostris literis ad vos, & ex vobis ambasiatoribus vestris sumentibus cum exitu & expensis circa Concilium faciendis ab illa die incipiente eo vsque ad finitum annum, vt Concilium fiat. Verum hoc magnum desiderium & singularem amorem quem habemus ad tale diuinum opus vnionis, dicimus & hoc, quod etiam existente guerra infidelium, si sanctitas vestra fecerit talem pro securitate nostrorum necessariorum locorum, & feceritis excommunicationem terribilem & insolubilem contra quoscumque vestros homines, vt non relinquunt nos solos in guerra infidelium, & ipsi in pace sint cum ipsis, sed auxilientur nobis contra infideles, ita quod ipsi infideles non habeant facultatem inferre contra nos armatos naue ipsorum. Et hoc parcat nobis reuerendissimus cardinalis habens ex nobis generalem auctoritatem & vim super istis: Placet nobis incipere vnionis opus ab ipsa die qua huc aduenerit

ANNO  
CHRISTI  
1435.

prædictus reuerendissimus cardinalis: & tunc conueniente sacro Concilio secundum antiquum sanctorum vniuersalium septem præteritorum ordinem & consuetudinem, & veritate sine contentione quaesita, quidquid reuelatum fuerit inspirante Spiritu sancto in hoc sancto Concilio, vtrique parti placitum sit, & subsequatur omnis terminus mundi. Itaque fiat vniuersalis vnio & infrangibilis & firma ecclesiarum. Datum in vrbe nostra Constantinopolitana millesimo quadringentesimo vicesimo secundo, die Sabbati quartadecima mensis Nouembris, sub nostra imperialis sigilli impressione, & nostra solita rubea subscriptione.

*Instrumentum electionis ciuitatis Basileensis pro celebratione  
Concilii generalis proxime secuturi.*

*In nomine Domini. Amen.*

Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat euidenter & sit notum, quod anno a natiuitate eiusdem Domini millesimo quadringentesimo vicesimo quarto, indictione secunda, die vero Sabbati decimanona mensis Februarii, hora Tertiarum, vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, &c. *Vide reliqua in sessione prima Concilii Basileensis.*



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Large block of very faint, illegible text occupying the middle and lower middle sections of the page.

Final block of faint, illegible text at the bottom of the page.